



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Disputationes|| ROBERTI BELLAR-||MINI E SOCIETATE  
IESV,|| DE CONTROVERSIIS CHRISTIANAE|| FIDEI,  
ADVERSVS HVIVS TEM-||poris Hæreticos,||**

Tribus Tomis comprehensæ.||

DE ECCLESIA|| TRIVMPHANTE,|| TRIBVS LIBRIS|| EXPLICATA.||

**Bellarmino, Roberto Francesco Romolo <Heiliger>**

**Ingolstadii, [1599]**

**VD16 B 1607**

XVI. Soluitur argumentum quartum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-53909](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-53909)

ad Romanum Pontificem pertinere vltimū iudicium de controuersis fidei, & eum non a Conciliis, sed à Deo ipso primatum habere; idem vult exorcismum adhiberi in Baptismo, templa dedicari certo ritu, orandum esse pro defunctis, Sanctos inuocandos, reliquias venerandas, Chrismatis, aquæ, salisque benedicti vsum in Ecclesia retinendum, in Eucharistia verè esse corpus Christi, idque adorandum, & tanquam verum ac proprium sacrificium offerendum, quæ sunt omnes exploratæ hæreses apud aduersarios. Si ergo volunt nos credere huic auctori, cum docet, Nicænam Synodum errasse, credant eidem ipsi, cum asserit tam multa, quæ iam enumerauimus.

Quòd si etiam constaret, Carolum ipsum hunc librum scripsisse, & in omnibus cum Calvinistis conuenire, quid haberent aliud, quàm testimonium vnius hominis laici & militis, quod opponere velle Concilio generali Episcoporum, stultitia est manifesta. Nā, vt rectè ait Damascenus orat. 2. de imaginibus: *Christus non commisit Ecclesiam Regibus, & Imperatoribus; sed Episcopis, & Pastoribus.*

## CAPVT XVI.

*Soluitur argumentum quartum.*

**A**D QVARTVM argumentum ex testimoniis Patrum, ordine respondeamus. IRENAEVS lib. 1. cap. 24. nō arguit Carpocratem, quòd imaginem Christi haberet, sed quòd eam coleret eo modo quo Gentes colunt idola, nimirum sacrificiis, vt clariùs explicant Epiphanius hæres. 29. & Augustinus hæres. 7. & præterea quòd imaginem Christi, & Pauli eodē loco haberet, quo imagines Homeri, Pythagoræ, Platonis & Aristotelis. Epiphanius similiter hæres. 79. reprehendit Collyridianos, non quòd imaginem B. Virginis, & ipsam Virginem honorarent, sed quòd haberent pro Dea, ei que sacrificium offerrent.

Iam AMBROSIVS quando ait, oratione de obitu Theodosij: *Helena crucem inuenit, Regem adorauit, non lignum vti que, qui est error Gentilium, &c.* Vult dicere, crucem non adorari propter se, sed propter Christum qui in ea pependit. Licet enim ipsum lignum honoremus, non tamen honoramus, quia lignum est, sed quia Christum crucifixum representat.

PPPPP 5

sentat.

sentat. Vnde Ambrosius ibidem sic ait: *Sapienter Helena epif, qua crucem in capite Regum leuauit, & collocauit, ut crux Domini in Regibus adoretur.*

Porro HIERONYMVS in cap. 3. Danielis, cum dicit, eos, qui Deum colunt, non debere statuas adorare; loquitur de statuis Regum, qui habebantur pro Diis, & quorum statue diuinis honoribus afficiebantur. Reprehendit enim eos, qui id faciunt, quod tres pueri facere noluerunt in Babylone.

Ad locum Augustini de moribus Ecclesiæ, cap. 36. PRIMO, fortè eum loqui de idolis Gentium, cum ait: *Non picturarum adoratores.*

DICO SECVNDO, eum fortè loqui de quibusdam, qui imagines Sanctorum superstitiosè colebant, ita vt accederent ad idololatriam; nam fuisse aliquos Christianos, qui imagines quasi Deos adorarent, testatur Damascenus in fine libri de hæresibus.

DICO TERTIO, Augustinum scripsisse eum librum in primordiis conuersionis suæ ad fidem Catholicam, & idè obfensum quibusdam ritibus, putasse eos sapere idololatriam, quos tamen postea melius instructus excusauit omnino ab idololatria. id quod ostendimus cum ageremus de reliquijs, nam in eodem loco dicit, eos, qui ponebant epulas super tumulos mortuorum, offerre solitos epulas cadaueribus, & inde vocat eos sepulcrorum adoratores: & tamen lib. 8. ciuitatis Dei, cap. vlt. dicit, eos, qui id faciunt, non offerre mortuis epulas, sed solùm ponere cibos super tumulos Martyrum, sperantes eos à Deo sanctificari per Martyrum preces.

Ad loca Gregorij dico, Gregorium solùm reprehendere cultum imaginum superstitiosum, id est, quo imagines coluntur vt Dij. Vt patet ex epistola ad Secundinũ lib. 7. epist. 5. Scio, inquit, quod imaginem Saluatoris non idè petis, vt quasi Deum colas, sed ob recordationem filij Dei in eius amore calescas, &c. Quod autem aliqua veneratio debeat imaginibus, patet ex sententia Gregorij, patet ex lib. 7. e-

epist. 5. *Sublata, inquit, qua dignum est generatione, imagine, atque cruce, &c.*

